

72. Quod si autem accusatus de simonia non plene convinci possit de crimine, non quidem positivis pœnis plectitur, et per consequens non amittit jura, quæ habet, sed suspectus de crimine impeditur, quominus nova jura in Ecclesia adipiscatur.

TITULUS IV.

Ne prælati vices suas seu Ecclesias sub annuo censu concedant.

1. Materiam simoniæ prosequitur B. Raymundus. In hoc titulo interdicitur Prælati ne jurisdictionem suam committant alicui, qui vicarii nomine illam exercent, et pretium temporale vel annuam præstationem Prælato rependat.

2. In *cap. 1. et 2. h. t.* pœna constituta legitur, ut Vicarius officio privetur, Prælati vero amittat facultatem officium illud conferendi. Hinc utique Episcopus potest habere plures in gravi suo munere exercendo coadjutores majores et minores, at nequit iisdem committere officium exercendum cum pacto solvendi pretium temporale sibi, vel annuam præstationem.

In *cap. autem 3. h. t.* Alexander III. modis omnibus prohibet quominus sub annuo pretio idest sub annua pensione concedatur quodcumque officium ecclesiasticum. Consonat dispositio Concilii Tridentini *cap. 11. sess. 25. De Reform.* Et merito. Namque est concessio simoniaca.

3. Verum si aliqua Ecclesia parochialis vel aliquod beneficium est incorporatum pleno jure alicui monasterio, Prælati ejusdem potest Vicarium in beneficio vel parœcia constituere, et relicta Vicario congrua portione fructuum pro honesta ejus sustentatione, potest sibi reservare fructus qui supersunt.

4. Immo quia annui fructus possunt plus minus determinari, potest Prælati absque periculo simoniæ contractum inire super hisce fructibus. Super fructibus enim beneficii, quia proprii sunt Clerici possidentis beneficium, contractus fieri potest, idest locari possunt pro annua pensione juxta *cap. ult. h. t.* Quæ tamen locatio post Extrav. *'Ambitiosæ'*, *'De rebus ecclesiasticis non alienand.'* fieri potest ad triennium tantum. Ultra triennium requiritur venia Sedis Apostolicæ.

5. Neque obstat *cap. 6. De relig. domib.* in quo traditur Episcopum posse remittere ordini religioso jurisdictionem quam habet

in aliqua Ecclesia, vel in aliquo Monasterio, cum onere tamen annuæ præstationis solvendæ mensæ episcopali. Nam præstatio annua non repræsentat jurisdictionem remissam, eo modo quo pretium repræsentat rem emptam, sed annua præstatio solvitur in recognitionem præteritæ jurisdictionis et libertatis concessæ. Ut nempe conservetur memoria jurisdictionis episcopalis in Ecclesia vel Monasterio, et permaneat aliquod signum subjectionis, præstatio solvitur.

TITULUS V.

De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*)

1. Quia in munere magisterii præsertim conferendo intervenire potest simonia juris ecclesiastici, præsens titulus post duos præcedentes ponitur. Sit.

I. *De Magistris.* In *cap. 1. et 4. h. t.* sermo est de Magistro, idest de Magistro grammaticæ, nec non de Magistro Sacræ Theologiæ. Cum particularia Instituta non essent in quibus prima rudimenta studiorum adolescentes facile addicerent, Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. celebratum statuit ut in omnibus Cathedralibus Ecclesiis unus designaretur Magister, qui clericos et pauperes adolescentes gratis erudiret in studiis grammaticis, et pulchrarum literarum, cui magistro pro honesta sustentatione consuleretur ex redditibus Ecclesiæ, seu per consuetum beneficium. Inde factum est ut in Cathedralibus Ecclesiis officium *Scholastici* institueretur, quod appellatum etiam est *Primiceriatus*. Quoniam vero hæc præscriptio Concilii in omnibus Ecclesiis Cathedralibus non observabatur, Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. (*cap. 4. h. t.*) eandem præscriptionem renovavit et extendit ad alias etiam Ecclesias insignes, in quibus sufficere potuissent facultates ad hoc munus magisterii constituendum.

2. Hæc quidem disciplina vixit usque ad Concilium Tridentinum. Hoc enim Concilium *sess. 23. cap. 18. De Reform.* Seminaria clericorum in Ecclesiis Cathedralibus erigi voluit, in quibus adolescentes bonis moribus instructi et bonæ spei reciperentur et in studiorum curriculo instituerentur sub oculis et directione Epi-

*) Quoad jus Ecclesiæ in scholas, vide Cavagnis, Jus publ. eccl. Lib. 4. num. 17—136.

scopi, necnon ad pietatem informarentur. In Seminario vult Tridentinum Concilium admittantur, qui ad minimum duodecim annorum ætatis sint, et nati ex legitimo matrimonio, præcipue autem ut eligantur pauperum filii ita tamen ut non excludantur filii ditiorum, dummodo tamen suis sumptibus alantur. — Ut autem administrationi rerum temporalium Seminarii et institutioni clericorum consuleretur statuit Tridentinum duos de Capitulo adsumendos esse, unum quidem eligendum ab Episcopo, alterum vero ab ipso Clero. Horum quatuor Seminarii deputatorum consilio uti debet Episcopus. Consilium horum canonicorum Episcopus debet in negotiis alicujus ponderis experiri, non autem tenetur consilium hoc prosequi. *S. Congregatio Concilii in 'Fundan.' 26. Martii 1689.* Nec ipsi deputati viri aliquid juris habent ad dirigendum Seminarium absque Episcopo. *Ita S. Congregatio Concilii in Arimin. 16. Febr. 1609.*

De magistro theologo.

3. In *cap. 4. h. t.* Concilium Lateranense IV. statuit Magistrum Theologum designandum et constituendum esse in qualibet Metropolitana Ecclesia, eique tribuendos esse redditus unius præbendæ canonicalis.

4. Concilium vero Tridentinum in *cap. 1. sess. 5. De Reform.* decernit ut absolute constituatur Magister Theologus in qualibet Metropolitana et Cathedrali Ecclesia. Destinari etiam potest in Collegialibus Ecclesiis oppidorum insignium. Ubi autem in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus etc. non inveniretur præbenda vel præstimonium aut stipendium assignatum pro Canonico Theologo, decernit Concilium huic scopo adsignandam et in perpetuo deputandam esse præbendam primo vacantem, dummodo adnexum non habeat aliud onus incompatibile. Episcopus vero per beneficium simplex, vel per contributionem beneficiorum, vel alio modo consulere poterit theologalis præbendæ augmento, quoties præbenda adsignata Theologo insufficiens esse videatur.

Ex hujusmodi Constitutione Tridentini Concilii factum est ut fere ubique in omnibus Cathedralibus Ecclesiis et insignibus Collegialibus deputata fuerit præbenda theologalis. Sacra autem Congregatio Concilii semper instituit ut deputaretur præbenda hujusmodi, ubi nondum fuerit designata.

De modo electionis Canonici Theologi.

5. Concilium Tridentinum de hac re silet, sed pro Italia et insulis adjacentibus observanda est Constitutio Benedicti XIII. *'Pastoralis' 14. Kalend. Junii 1725.* In hac Constitutione Pontifex mandat primo loco ut ubi præbenda theologalis eoque instituta non fuerit, præbenda primo vacatura post Constitutionis publicationem, ipso jure et absque ulla declaratione censeretur constituta præbenda theologalis. Deinde determinat modum electionis Canonici Theologi, et statuit eligendum esse Doctorem in S. Theologia, vel eum qui intra annum lauream doctoralem suscipiat. Electionem vero faciendam esse per concursum coram Examinatoribus in eadem forma, qua Ecclesiæ parochiales conferuntur. Porro concursus fieri debet coram Episcopo et quatuor saltem Examinatoribus qui possunt esse etiam non Synodales, sed ab Episcopo actu electi et deputati ad examen Canonici Theologi excipiendum. *S. Congr. in 'Casertana' die 17. Decemb. 1729.*

Attendendum autem est ne Theologiæ moralis quæstiones resolvendæ proponantur, quemadmodum fieri solet in concursu ad Parochiales Ecclesias, sed potius quæstiones Theologiæ Dogmaticæ et S. Scripturæ resolvendæ proponantur.

De officio Canonici Theologi.

6. Juxta mentem Concilii Tridentini officium Theologi est ut lectiones habeat publicas, et quidem Canonicus Theologus tenetur hujusmodi munus adimplere, etiamsi antecessores ejus de facto huic obligationi non satisfecerint, et ideo quæcumque consuetudo contraria non excusat negligentem ut resolvit S. Congregatio Concilii in *'Bellund.' diei 27. Apr. 1630* et in *'Cavensi' diei 25. Aug. 1661* et in plurimis aliis causis.

7. Verum varia fuit practica interpretatio Decreti Concilii Tridentini, siquidem hujusmodi munus visum fuit fuisse præsertim a Sacrosancto Concilio introductum ut Clericorum Doctrinæ et instructioni consuleretur, quasi Canonicus Theologus repræsentet veterem magistrum Theologum Cathedralium Ecclesiarum. Quapropter factum est ut in aliquibus Diocesisibus Canonicus Theologus, quin in Ecclesia coram Capitulo publicas scripturales lectiones haberet, potius S. Theologiam sive Dogmaticam, sive moralem doceret in Seminario. Pariter in aliquibus Diocesisibus inductum est, ut Ca-

nonicus Theologus præset Clericorum conventibus, in quibus resolvebantur casus conscientiae, et ipse proponeret ipsas quaestiones easque magistrali oratione ultimo resolveret. Sancta Sedes obviare visa non est istis practicis applicationibus Concilii Tridentini, immo dici potest aliquando S. Congregationem Concilii etiam approbasse istas agendi rationes. Et sane Benedictus XIV. hanc practicam theoriam exponit et probat in opere *De Synod. Dioc. lib. XIII. c. IX. n. 17.* et in *Institut. Eccl. LVII.* Sacra autem Congregatio Concilii in *'Fulginatensi' 1744.* expresse confirmavit theoriam Benedicti XIV. et non dissimilis resolutio data est in *'Pacensi' 28. Sept. 1765.*

8. Attamen anno 1842. prodiit Encyclica sanctae memor. Gregorii XVI. *'Inter præcipuas'* qua ob machinationes et calumnias societatum Biblicarum Protestantium contra Ecclesiam Catholicam Summus Pontifex excitavit vigilantiam Episcoporum et præsertim in paragrapho 3º. ipsis inculcavit, ut curarent, ne Canonici Theologi munere suo deficerent et prætermitterent scripturales lectiones in Ecclesia juxta decretum Concilii Tridentini.

9. Exinde autem factum est ut plures resolutiones Sacrae Congregationis Concilii, quasi uniformes prodirent, ex quibus deduci potest, in præsentibus circumstantiis, non amplius admitti posse ut Canonici Theologus loco biblicarum lectionum in Ecclesia vel doceat S. Theologiam in Seminario, vel præsit resolutionibus casuum conscientiae. Sane in *'Derthonen.' 26. Junii 1844.* proposito dubio: 'an et quomodo sit annuendum postulatis supra commutatione lectionis Sacrae Scripturae in casuum conscientiae explicationes' responsum est 'Non expedire ut Episcopus curet executionem nuperimæ Encyclicae Gregorii XVI.' In *'Casalensi' 26. Julii 1848.* respondit S. Congr. 'servetur lectio Biblica ad tramites Concilii Tridentini.' In causa autem *'Civit. Castel.' 2. Sept. 1876* respondit 'Canonicum Theologum teneri ad lectiones scripturales; attentis tamen peculiaribus circumstantiis, indulgendum ut abesse possit a Choro diebus quibus scholæ Dogmaticæ vacat'.

10. Accessit nuperrima resolutio ejusdem S. Congregationis Concilii in causa *Pampilonensi die 16. Decemb. 1882.* Exponebatur Canonicum Theologum juxta illius Ecclesiae Cathedralis consuetudinem non habere publicas lectiones S. Scripturae, sed in Seminario eandem S. Scripturam explicare. Episcopus autem referebat anno 1852 in Hispania de consensu Nuntii Apostolici editum fuisse

regium diploma, quo commendabatur ut Canonicis de officio nuncupatis onus edocendi seu legendi in Seminariis imponeretur. Quibus inspectis, S. Congr. dubiis propositis circa exemptionem Canonici Theologi a Choro et circa jus percipiendi distributiones quotidianas respondit: 'In casu, de quo agitur, Canonicum Theologum 'choro abesse ac distributiones quotidianas lucrari posse, pro iis tantum diei horis, quibus legit in Seminario, onerata conscientia'. Ex quibus omnibus patet modum adimplendi munus Canonici Theologi dum vigeat theoria supra exposita Benedicti XIV. in genere remissum fuisse prudenti arbitrio Episcopi Diocesani, qui juxta temporis et loci circumstantias dirigere Canonicum Theologum poterat.

Hodiernis autem temporibus post encyclicas literas Greg. XVI. *'Inter præcipuas'* regulam esse, ut Theologus biblicas lectiones in Ecclesia habeat, adeoque sine judicio et venia S. Sedis, Canonicum Theologum non posse omittere publicas lectiones et earum loco in Seminario S. Scripturam vel Theologiam docere.

11. Quæritur utrum Canonicus Theologus debeat per se ipsum officio suo fungi, vel possit etiam substitutum adhibere.

Concilii Tridentini mens est in cit. *cap. 1. sess. 5. De Refor.* 'ut præbenda theologalis *non nisi personis idoneis et quæ per se ipsas id munus explere possint, conferatur*'. Quod si vero qui obtinet hanc præbendam idoneus non fuerit, decernit Tridentinum, ut Ordinarius eum compellat etiam per subtractionem fructuum ad munus lectionum explendum per idoneum substitutum.

12. At quid si Canonicus Theologus ipse, etiamsi esset idoneus, vellet tamen per alium muneri suo satisfacere?

Profecto intentioni Patrum Tridentinorum hæc agendi ratio plene conformis non esset. At dici nequit, Tridentinum expresse eam interdixisse. Simpliciter enim tradidit Concilium munus interpretandi Sacram Scripturam esse personale. Plura autem sunt munera personalia, quæ nihilominus possunt per substitutum impleri. Quemadmodum est munus prædicandi Evangelium populo fidei, quod Episcoporum et Parochorum personale est, et tamen per alium impleri potest. Quare inspecto rigore juris, Canonicus Theologus poterit per alium implere munus suum interpretandi S. Scripturam.

13. Sed disciplina in hac re ex mente Concilii Tridentini subest prudenti arbitrio Episcopi, qui proinde poterit id impedire, et

Canonicum Theologum urgere, ut per se ipsum S. Scripturam interpretetur. Consonat huic theoriæ resolutio S. Congr. Conc. in *'Urgellensi die 15. Decemb. 1725 et 28. Decemb. 1726* in responsione ad 3^m dubium, ubi clare traditur posse Canonicum Theologum per alium concionare, obtenta tamen, quam petere debet, Capituli licentia et salvo recursum ad Episcopum.

De juribus Canonici Theologi.

14. Præbenda theologalis in Capitulo non constituit dignitatem neque personatum sed solummodo officium. Tridentinum enim nullam facit mentionem de aliqua prærogativa excellentiæ Magistri theologi. Nec juvat animadvertere juxta Constitutionem *'Pastoralis'* Benedicti XIII., requiri in Canonico Theologo lauream doctoralem, quemadmodum requiritur in Dignitatibus, nam laurea exigitur ceu argumentum idoneitatis. Hinc jus honoris et præcedentiæ nullum competit Canonico Theologo, sed aliis communibus canonicis accensetur, et prioritatem solummodo obtinet ratione temporis, idest jure ætatis.

15. At jus inest præbendæ theologali, ut Canonicus Theologus ea die qua legit interpretationem Sacræ Scripturæ, eximatur pro tota die ab onere assistendi et præstandi suam operam in servitio chori, et tamen tamquam præsens lucretur fructus omnes beneficii sui, nec non distributiones quotidianas, quæ a præsentibus percipiuntur.

16. Censentur exceptæ solummodo distributiones illæ, quæ ex voluntate testatorum expressa solvuntur tantummodo actu præsentibus. Ita Sacra Congr. Concilii in causa *'Arboren. theologalis diei 7. Decemb. 1861.* Nec officit contraria consuetudo prædecessorum Canonicorum Theologorum, qui usi non fuerint privilegio vacandi ab officio chori tota die, in qua lectionem habuerint, nec officit paucitas canonicorum, vel parvus numerus lectionum in anno. Ita S. Congr. in cit. *'Perusina' 30. Julii 1859.*

17. Hæc quidem dispositio de lucrandis fructibus præbendæ et quotidianis distributionibus, non solum Canonico Theologo favet, si publice in Ecclesia lectiones S. Scripturæ habeat, sed etiam si loco harum lectionum Theologiam vel S. Scripturam ex venia S. Sedis doceat in Scholis Episcopalibus, ita ut pro integra die a choro vacare possit, quando docet, licet doceat horis solummodo matutinis, vel vespertinis. Et hic quidem fuit casus propositus

S. Congr. in cit. causa *'Arborensi'* in qua agebatur de Canonico Theologo cui per literas Apostolicas impositum erat munus docendi Theologiam Dogmaticam loco lectionum S. Scripturæ. Cf. *Acta S. Sedis tom. 1. p. 484.* Quin immo interrogata S. Congregatio in eadem *Arborensi theologali* in dubio 3. 'An exemptus a choro declarandus pariter sit, (Canonicus Theologus) ad prædictum effectum distributiones et emolumenta incerta iis diebus, quibus licet non doceat, attamen ratione officii sui clericorum examini assistit, in casu' respondit 'Affirmative, uti in secundo dubio'. 'Idest exceptis emolumentis, quæ ex voluntate testatoris, aut dantis, debentur tantum actu præsentibus.' Verum S. Sedes potest in casibus particularibus limitare jus canonici theologi, ad horas in quibus docet in scholis. Exemplum habemus in cit. *Pampilonensi 16. Decemb. 1882.*

18. Ecclesiastica legislatio præter Canonicum theologum, cujus titulum fixum et perpetuum voluit in Capitulis destinari, respexit etiam alios magistros docentes sacram theologiam, immo et ipsos discipulos ejusdem facultatis. In cap. 5. h. t. Honorius III. statuit ut lectores S. Theologiæ, quamdiu eam docent, et discipuli ad quinquennium de licentia S. Apostolicæ percipere possint fructus præbendarum suarum et beneficiorum, non obstante eorum absentia a choro.

19. Hanc dispositionem confirmavit Conc. Tridentinum *cap. 1. sess. V. De Reform.* nullam addens mentionem quinquennii quoad discipulos observandi.

20. Ex declarationibus autem S. Congr. Concilii in *'Tropiensi' 10. Novemb. 1592 et 'Perusina' 7. Maji 1707* indultum absentiae a choro juvat etiam lectoribus juris canonici et civilis, etiamsi illud exponant in publica Universitate civitatis illius ubi præbendam et beneficium obtinent. Nec obstat, lectoribus stipendium assignatum esse in ipsa Universitate pro suis laboribus, nihilominus enim indulto frui possunt.

De secunda parte tituli.

21. *Ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

Abusus irrepserat in Universitatibus studiorum tempore Alexandri III., ut ingens pecuniæ summa exigeretur a discipulis pro licentia docendi. Ob hujusmodi abusum pauperes adolescentes, desti-

tuti facultatibus prohibebantur quominus studiis vacarent, et solummodo divites poterant gradus academicos assequi. Insuper magistri videbantur magis pecuniæ aviditate trahi, quam desiderio utiliore scientiam tradendi. Abusus hujusmodi, fertur, præsertim in Parisiensi Universitate irrepsisse. Hinc tradunt Alexandri III. decretalem, quæ in cap. 3. h. t. legitur, emanasse contra Cancellariam Parisiensem.

22. Ad abusus vero omnes ubicumque reperirentur tollendos, legislatio ecclesiastica in capp. 1. 2. et 3. h. t. prohibuit ne aliquid exigeretur pro licentia docendi, et receptio pecuniæ condemnata est tamquam infecta labe simoniæ juris ecclesiastici invocatumque est principium 'Gratis accepistis, gratis date'.

23. Verum ex consuetudine inductum est ut modica lucra possent percipi in experimentis, quæ juvenes subeunt ad licentiam docendi assequendam, seu ad obtinendos gradus academicos. Et jam tempore Concilii Viennensis sub Clemente V. inceperant exigi nonnullæ expensæ a juvenibus in doctoralis laureæ assecutione, unde edita est Constitutio, quæ inter Clementinas cap. 2. h. t. legitur, in qua omnes expensæ discipulorum, sive pro vestibus, sive pro cibis, sive pro aliis titulis coarctantur ad tria millia turonensium argenteorum, idest circiter ad centum triginta scutata antiquæ monetæ Romanæ (Libell. 698. 75.).

24. Deinde autem pro qualibet academia seu Universitate studiorum sua taxa expensarum, juxta indigentias locorum constituta fuisse cernitur. Pro Universitate autem Romana et Bononiensi lata est Constitutio Julii III. 'Cum sicut' diei 6. Febr. 1552 in qua cautum ut a pauperibus adolescentibus cæteroquin idoneis nihil exigeretur ad concedendos eisdem gradus academicos. Quare virtute hujus Constitutionis iterum pro pauperibus confirmata fuit abolitio facta ab Alexandro III. immodicarum expensarum, ita ut in gradibus et honoribus academicis concedendis plus effulgeat pietas et scientia, quam cupiditas lucri et pecuniæ.

25. Pariter virtute hujus Constitutionis factum est, ut adolescentes excellentiores ingenio et studio non debeant ob defectum pecuniæ removeri ab honoribus et juribus studiorum, sed aliquo modo eisdem consulendum sit, ut possint studiis vacare, et licentiam docendi obtinere.

TITULUS VI.

De Judæis et Saracenis et eorum servis.

1. Expleto tractatu de crimine simoniæ, quo præcipue Sanctus Spiritus offenditur cujus dona parvipenduntur, agitur in Decretalibus de illis, qui fidei et religioni Christianæ contradicentes Deum ac præcipue Jesum Christum filium ejus offendunt. Hi sunt infideles et hæretici. In præsentī titulo agitur de infidelibus.

Legislatio ecclesiastica in hac materia reducitur ad determinandam tolerantiam ab Ecclesia adhibitam erga Judæos et Saracenos, a quibus infidelibus ferme solis tempore Decretalium poterant prævideri mala in Ecclesia. Legislatio hæc prudentissima pro temporum ratione, informatur principio 'neminem vi cogendum esse ad fidem suscipiendam; errantes vero esse tolerandos, quia supponuntur in bona fide. *Cap. 9. h. t.* Ceterum conversos ad fidem privilegiis esse honestandos.' *Capp. 15. et ult. h. t.*

De Judæis.

2. Impietas et blasphemiæ Judæorum in Christum et christianam religionem, necnon eorundem invidia, usuræ, et injustitia erga christianos, odium maximum contra judaicam perfidiam excitarunt, ita ut a pluribus regnis christianis Hispaniarum, Belgii, Galliæ etc., expulsi fuerint. Jactati in medio mari judæi, præsertim ad litora temporalis ditionis Romanæ Sedis appulerunt, et misericordiam invocarunt. Pietas Christiana suasit Ecclesiæ ut exciperet et benigne tractaret miseros istos homines. Verum cum timeri possent damna in plebem christianam, immo et in ipsos hospites Judæos ex commixta habitatione, hinc quasdam leges Ecclesia statuit, ut damna præcaveret et legitima quodammodo redderetur Judæorum hospitalitas inter fideles in christianis regionibus.

3. Et 1º. prohibitum est ne in eadem domo simul christiani cum Judæis habitarent. *Can. 13. 28. q. 1.* Hinc factum est ut in quibusdam urbibus Judæis domicilia determinata adsignarentur. Immo juxta dispositionem cap. 15. h. t. in omni christianorum provincia Judæi utriusque sexus, qualitate habitus, omni tempore distinguantur oportet.

4. 2º. Quoniam vafri homines divexabant Judæos, et eorum sepulchra violabant, intuitu pecunias exigendi, hinc præsertim in